



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tribunal Poenitentiae Sev Libri Dvo Prior De Poenitente Ut Reo Posterior De Confessario Ut Judice

Stoz, Matthäus

Anno M.DC.LXXXIX.

§. 9. Quomodo debeat & possit excitari ad contritionem?

urn:nbn:de:hbz:466:1-37144

§. IX.

*Quomodo debeat & possit excitari
ad Contritionem?*

105. IV. Absolvi validè non potest, qui caret vero de suis peccatis dolore, hoc est contritione, vel saltem attritione. Quæ autem necessaria sit ad Sacramenti Pœnitentiæ valorem, contritio vel attritio; & quomodo elicienda; vide *sup. lib. 1. p. 2. à n. 1.* Hic tantùm addo, quòd in iis, qui præsumuntur scire, quæ ad Sacramentum Pœnitentiæ spectant, sufficiens signum doloris esse possit, ipsa seria peccatorum enarratio; & multò magis si ipsi dicant, se dolere. Quid sit de illis, qui dicunt, se in priore confessione non habuisse sufficientem dolorem, vide *cit. p. 2. n. 343.* Quod si appareat, pœnitentem enarrare sua peccata sine requisito dolore, tenetur Confessarius eum hac de re ante absolutionem examinare, & si defectum reperit, salubri exhortatione disponere. *Laym. l. 5. tr. 6. cap. 13. n. 10. V. Corollarium.* proposita turpitudine peccati, gravitate offensæ DEI, & pœnæ infernalis. Plurimum autem negotii hîc facessere solent pueri & puellæ; homines rudes, & peccatores indurati. Omnes sunt ad elicendum dolorem, quasi manducendi propositis nonnullis quæstiunculis, quas hîc, quia cum simplicibus sermocinatio, simplici tantùm modo potiùs insinuo, quàm describo. Et verò quantumcunque exaggerato & pathetico stylo chartis imprimantur, si Confessarius ferventi Zelo, magno spiritu, devotâque mente animam non addat & efficaciam, sunt omnia sicut gladius Scanderbegi sine manu Scanderbegi.

Cum puero ergo & puella hoc vel simili modo age. Q. 1. quo deveniunt post mortem homines, qui peccant? Resp. in infernum, vel purgatorium. Q. 2. quis detrudat & detrudijubet, seu damnat ad ejusmodi pœnas? Resp. DEUS. Q. 3. agnoscisne, etiam te peccasse? annon ergo etiam tu meritus es, ut tibi DEUS offensus, & iratus, similem gravem pœnam infligat; sed ne infligat, jam oculis in caelum elatis, vel ad hanc v. g. Crucifixi imaginem converfis, dic ex animo: O JESU Christe! miserere mei, & parce mihi! jam volo me emendare, vel: O DEUS! propitius esto mihi peccatori.

Cum rudibus simili modo procedi potest, vel etiam isto: si offendisses magnam aliquem Dominum, & quidem ex te dignissimum, ut ab omnibus ametur, & honoretur; à quo insuper haberes, quidquid habes in bonis animæ, corporis, & fortunæ; quique ea omnia singulis momentis, ne pereant, tibi conservat, & quasi de novo donat, si inquam offendisses talem Dominum (maximè graviter) an non vehementer doleres? Affirmantem interroga ulterius; an non credis DEUM esse talem Dominum dignum, qui ab omnibus summè ametur, & honoretur; qui corpus, animam, & omnia, quæ habuisti, & adhuc habes, tibi dedit; & ita tibi conservat, ut quovis momento, quo cessaret conservare, omnia perirent, & tu cum illis? Annuentem porrò urge: annon ergo doles, quòd DEUM offenderis, & peccata, quæ summè DEO displicent, ei que sunt abominatio maxima, commiseris? si etiam hoc affirmat, jube, ut ex animo dicat: DEUS meus & Dominus meus doleo, me

aliquando, quod tibi displicet, fecisse, & ita infinitam Majestatem tuam offendisse; ignosce, O magne DEUS! deinceps melius me geram, & magis tibi serviam. Ad eundem finem facit etiam similitudo desumpta à Patre, vel Amico intimè dilecto, à Benefactore magno. Interrogandus enim est rudis pœnitens, an non habeat talem parentem, amicum, benefactorem? an non, si habeat aliquem, & illum, offendisset, graviter doleret? an non & DEUM credat esse optimum suum Patrem, maximum amicum? an non agnoscat, quòd illum suis peccatis offenderit? an non ergo meritò, & de hoc dolere debeat, & cum filio prodigo dicere: *Pater! peccavi in cœlum, & coram te; non sum dignus vocari filius tuus* &c.

Indurati denique poterunt cum divina gratia ad aliquem dolorem emolliiri, hujusmodi interrogatione: Si severissimus Judex, quem semel, vel sæpius in aliqua re offendisti, jam cum suis Ministris Justitiæ coram adesset, & acerbissimam mortem per ferrum, ignem &c. minaretur; nisi culpam cum dolore & proposito emendationis deprecareris, an non statim provolutus in genua id faceres? an non credis DEUM esse Judicem ita rigidum, ut nullum, etsi nostro Judicio etiam levissimum, delictum relinquat impunitum? an non credis illum hîc esse præsentem, & tibi minari acerbissimas hujus & alterius vitæ pœnas, quas quovis momento inferre potest; & incertum est, an hoc vel alio momento sit re ipsa illaturus? nisi conversi fueritis, gladium suum vibrabit; arcum suum tetendit, & paravit illum, & in eo paravit vasa (seu instrumenta) mortis. *Psalms. 7. v. 13.* Prostratus itaque antefaci-

ciem Domini dic: *parce mihi, Domine, parce mihi misero peccatori! doleo, quòd peccando te offenderim: Volo & propono nunquam id amplius facere* &c.

§. X.

Quomodo ad deserendam occasionem proximam?

106. V. Absolvi denique etiam validè non potest, qui non habet propositum satisfaciendi omnibus suis obligationibus, quibus sub peccato mortali est obstrictus, uti est obligatio vitandi occasionem proximam peccandi mortaliter, obligatio restituendi &c. De hoc proposito actum est fute sup. lib. 1. p. 2. à n. 75. & ex quibus signis cognoscatur, dictum est ibidem num. 104. & 114. Hîc addo sequentia I. qui occasionem proximam peccandi mortaliter facilè potest, sed non vult dimittere; hîc & nunc autem de peccatis commissis concipit dolorem, & propositum extraordinariè magnum, potest tunc juxta communem adhuc absolvi. Tamb. de confess. l. 9. cap. 3. §. 1. n. 6. Laym. l. 5. tr. 6. cap. 4. n. 10. V. Veruntamen. in fine. Sed Dicastillo de pœnit. Disp. 6. n. 336. de concubinario loquens rectè monet, magna hîc opus esse prudentia, & consideratione loci, temporis, personæ, aliarumque circumstantiarum; neque facilè prædicandum. &: *Ego, inquit, vix crederem alicui, quantumvis affirmanti, se habere firmissimum propositum, & magnum dolorem, si simul, cum possit, nolit se tanto periculo liberare; nec dignus est, cui credatur.* Ita Dicastillo l. c. & Disp. 10. n. 572. Tan. tom. 4. Disp. 6. q. 9. n. 119. ubi ait, concubinarium etiam prima vice venien-